

4.° Ratione. De quolibet supposito vere praedicatur in concreto natura, in qua subsistit, et quaelibet ejusdem proprietates; ut Plato est homo, est mortalis etc. Atqui suppositum divinum subsistit in natura divina et humana: ergo de supposito divino, significato per nomen Deus, in propositione, «*Deus est homo.*» vere praedicatur quod est homo, passibilis etc; et de supposito divino significato in propositione, «*Homo est Deus.*» vere praedicatur quod sit Deus, dans vitam aeternam, aeternus, etc.

130. Objic. 1.° Repugnat quod de eodem opposita praedicentur. Atqui Deitati et humanitati prorsus oppositae conveniunt proprietates: ergo de Christo nequeunt affirmari.

Resp. Dist. *maj.* Quod praedicentur secundum eandem rationem; conc. Secundum rationem diversam; nego.

Objic. 2.° Nequeunt tribui Deo defectus: ergo nequit homo vel proprietas hominis de Deo praedicari.

Resp. Dist. *antec.* Secundum deitatem; conc. Secundum humanitatem; nego.

Objic. 3.° Christus non potest dici creatus, creatura, coepisse in tempore, etc. Ergo non datur communicatio idiomatum.

Resp. Dist. *antec.* Per se, seu logice, non potest dici creatus, etc. nego: per accidens, seu, ne suspicionem erroris Arriani praebeamus; conc.

THESIS XXXI.

De naturis earumque proprietatibus, in abstracto sumptis (sive in subjecto, sive in praedicato), non datur idiomatum communicatio: neque de concretis reduplicative intellectis.

131. *Nota.* Sensus primae partis est; non posse dici, ex. gr. Deitas est humanitas, vel est homo; Deus est humanitas, vel homo est Deitas. Sensus secundae partis est; non est dicendum: homo, quatale est Deus: Deus, quatale est homo vel mortalis.

Prima pars prob. 1.° In conc. Hispaniarum et Lusitaniae, contra Priscillianistas, jussu Leonis celebrato, (a. 447) definitur: «*Si quis dixerit Deitatem Christi... passibilem, anath. sit.*»

2.° Damascenus, (1). «*Deitatem dicentes non nominamus de ea quae humanitatis idiomata sunt; non enim dicimus deitatem possibilem vel creabilem.*»

(1) L. 3, c. 4.

3.° Nequeunt praedicari invicem quae non habent identitatem. Sed naturae earumque proprietates, in abstracto, non habent identitatem: ergo.

Major est logice evidens. *Minor.* est de fide ex multis Conciliis Oecum. quorum doctrinam breviter tradidit Lateran. sub Martino I. Can. 7. «*Si quis non confitetur, proprie et secundum veritatem, substantialem differentiam naturarum inconfuse et indivise in Christo servatam; anath. sit.*»

132. Pars. 2.ª prob. 1.° Synod. Oecum. IV. sub Damasco; can. 14. «*Si quis dixerit quod dolorem sustinebat Filius Dei Deus, et non caro cum anima, qua induerat formam servi; anath. sit.*»

2.° Concretum reduplicative sumptum supponit pro abstracto: atqui de abstractis nequit mutua fieri praedicatio. Ergo. *Minor* patet ex prima parte.

Objic. Christus dicitur Dei virtus et sapientia; item, Deus est Deitas, ideoque et Christus poterit Deitas dici.

Resp. Dist. Haec sunt vera, ratione materiae; conc. Logice, seu ratione formae; nego. Videlicet in divinis, propter summam simpliciter, concretum et abstractum identificantur.

Vide D. Thomam, 3. p. q. 16, ubi rem hanc fuse et multis adhibitis evolvit exemplis.

ARTICULUS V.

De hypostatica unionem secundum se.

THESIS XXXII.

Unio humanae naturae ad Verbum divinum distinguitur realiter ab extremis, et est quiddam creatum.

133. *Nota:* id defendimus cum Suarezio, aliisque pluribus DD. adversus Gonet, aliosque. Non tamen illam realem intelligimus distinctionem quae inter *rem* et *rem* existit, sed, quae inter *rem* et *modum realem* ejusdem, locum habet. De hac autem reali et modali distinctione consulas Doctorem Eximium, qui in *Metaphysica*, (1) totam rem clare et solide explicat et demonstrat.

1.° Ex D. Thomae doctrina (2) thesim probamus. «*Quod*

(1) Disp. VII, Sec. 1.—(2) Q. 2, a. 7.

»nascitur ex mutatione creaturae,» distinguitur a creatura; «quod »non est realiter in Deo,» distinguitur a Deo. Atqui talis est unio Verbi cum humana natura; ibid. in corpore articuli: ergo distinguitur realiter ab extremis.

Confirm. Id cuius esse dependet a creatura, ut a subjecto, distinguitur a Deo et a creatura. Atqui creatura (humanitas) est subjectum a quo dependet unio. (ibid. ad 2.^m); ergo. *Major* est evidens; nec enim potest Deus pendere a creatura, neque potest haec se ipsam praesupponere.

134. 2.^o Incarnatio involvit necessario veram et realem actionem: ergo huic actioni respondet terminus proprius et intrinsecus. Subs. Sed hic terminus nec est humanitas nec Verbum: ergo est unio, ut quid distinctum ab utroque.

Antec. est certum: *Verbum caro factum est*; fieri autem et facere importat actionem: insuper, Incarnatio est opus ad extra et commune toti Trinitati, ut infra dicitur. Sed repugnat opus reale ad extra, sine actione similiter reali ad extra; ergo incarnatio reali efficitur actione.

Min. subsumpta est aperta: Verbum enim non fit per actionem incarnativam: Humanitas autem Christi utique fit, seu creatur; at tamen non per illam actionem, sed prius natura quam fiat Incarnatio, et cum indifferentia intrinseca ad terminandam unionem cum Verbo. Ergo terminus intrinsecus propriusque actionis incarnativae, id est, unitivae Humanitatis cum Verbo, est aliquid aliud distinctum realiter ab Humanitate et Verbo.

3.^o Quae possunt realiter separari, realiter distinguuntur. Sed unio potest realiter separari a Verbo et humanitate; poterat enim illa Christi humanitas existere absque unione cum Verbo: ergo...

135. 2.^a Pars ex 1.^a facile deducitur. Si enim unio Verbi cum Humanitate distinguitur realiter ab ipso Verbo, necessario est quid creatum.

Conf. Quod est aliquid, et non est aeternum, est quid creatum. Atqui unio Verbi cum Humanitate est aliquid, et non est aeternum: ergo et creatum.

D. Thomas claram exhibet rationem (1): «Omnis relatio quae »intercedit inter Deum et creaturam, realiter quidem est in creatura, per cujus mutationem talis relatio innascitur: non autem est »realiter in Deo, sed secundum rationem tantum; in humana autem »natura, quae creatura quaedam est, realiter est. Et ideo oportet dicere quod sit quid creatum.»

136. Obj. 1.^o Ait Gonet: Humanitas est indifferens ad unio-

(1) P. 3, q. 2, a. 77.

nem: ergo indiget alio modo ut recipiat unionem; de illo autem modo idem dicemus, unde habebimus processum infinitum.

Resp. Licet Humanitas (et Verbum quoque) sit indifferens ad unionem, unio non est indifferens ad Humanitatem, sed per se ipsam unit: ideo, concesso *antec.* nego *conseq.*

Obj. 2.^o Sufficit ad Incarnationem actio unitiva, vel unio, vel passio. Ergo non requiritur unio modalis realis.

Resp. Haec et alia quaelibet, quae dicas et fingas, vel sunt ipsum solum Verbi et Humanitatis complexum, vel non. Si primum dicas; ergo Verbi et Humanitatis complexum non est indifferens ad unionem, seu Incarnationem: quod quidem est plane falsum. Si aliud autem concedas, quaero: illud quod vocas *actionem unitivam* vel *unionem*, vel *passionem*, etc. suntne ipsa formalis unio Verbi et Humanitatis? Vel sunt aliquid cum eadem formali unione conexum, seu inferens unionem? Si 1.^m concedas, fateris unionem formalem esse distinctam realiter a Verbo et Humanitate. Si autem secundum dederis; sequitur quod praeter complexum Humanitatis et Verbi, et praeter *actionem unitivam*, *unionem*, etc. datur aliquid tertium quod sit ipsa *unio formalis*: nam, ut dictum est, solum complexum Verbi et Humanitatis non est unio, seu Incarnatio. Ideoque, nego vel permitto *antecedens*, et nego *conseq.*

137. Obj. 3.^o Ad actus liberos Dei requiritur aliqua actualis et realis entitas voluntati divinae superaddita et ab eadem distincta: ergo neque ad unionem Verbi cum Humanitate est necessaria aliqua modalis entitas distincta.

Resp. Concesso *antecedente*, (licet aliqui insignes theologi illud negaverint) nego *consequentiam* et paritatem. Imo, ex illo *antecedenti* potius deberent adversarii nostram inferre thesim et amplecti. Nam, quam ob causam tale ac tantum docent Theologi (communiter) mysterium? quod, nempe, absque ulla reali mutatione liberos Deus eliciat actus! Non quidem hoc dicunt ex solo opinandi vel philosophandi libitu, vel solius rationis ductu; sed fidei doctrina constricti, quae Deum simplicissimum, infinitum in omni actualitate, ac liberrimum tamen esse docet. Etenim Deus hoc habet jus, ut in obsequium illius *omnem captivemus intellectum* (2 Cor. X, 5): theologi autem non mysteria fingendi munus susceperunt, sed potius difficultates, quoad fieri possit, dissipandi. Quanta autem sit inter mysterium de libertate Dei et mysterium unionis hypostaticae disparitas, nemo non videt. Actus liberi in Deo sunt immanentes, id est, tamquam in principio et subjecto; unio quidem hypostatica est in humanitate tamquam subjecto, Verbum autem divinum respicit ut terminum. Jam vero numquid mutationi verae et propriae non subjicitur humanitas? Numquid et ipsa est sim-

plicissima, immutabilis, et actus purus? Insuper actus divinae libertatis sunt aeterni et increati: at Incarnatio, seu unio Humanitatis cum Verbo, est aliquid in tempore effectum, actione propria et ad extra trium divinarum Personarum. Numquid potest aliquid fieri in tempore absque ulla nova, reali et temporali entitate? Praeterea: Deus nulla accrescit perfectione, actus suos liberos elicendo; quemadmodum enim ex se summe esset in actu, licet nullos actus eliciisset liberos, ita et summe perfectus. Verum humanitas Christi, è contra; per ipsam formalem unionem hypostaticam evecta est ad summam quamdam supernaturalem perfectionem, longe superantem quamlibet aliam creatam. Potestne tanta concipi in humanitate perfectio, quin ea ullo modo intime et realiter immutetur?

138. Obj. 4.^o Verbum *per se* humanitatem perficit, *immediate* eidem unitur: ergo nihil entitatis concipi potest inter Verbum divinum et humanitatem.

Resp. dist. *antec.* *Per se* perficit, *immediate* unitur, ut *quod*; conc. *ut quo*; nego. Ut hanc calleas distinctionem, perpende: si Christus non esset illi Humanitati unitus, numquid deesset quidquam Verbo *per se*? Quod si Verbum uniretur alii humanitati, Adami, ex. gr.; numquid aliquid fieret in Verbo *per se*? Nam *per se* nunc non unitur ei; tunc autem *per se*, ut dicis, uniretur: ergo *per se* Verbum esset aliud!

Similiter distinguas *consequens*: ergo nihil, *ut quod*, concipi potest, inter Verbum et Humanitatem; conc. Nihil, *ut quo*; nego.

Obj. 5.^o Si unio Verbi cum humanitate modus sit positivus ac realis ab extremis distinctus, accidens quoddam erit; unde unio erit accidentalis, quod est erroneum.

Resp. Nego *ant.* Unio enim non est modus *accidentalis*, qualis est unio accidentis cum subjecto; sed *substantialis*, juxta naturam extremorum; quemadmodum unio animae cum corpore.

ARTICULUS VI.

De Christo secundum esse divinum participatum, seu de Sanctitate Humanitatis Christi.

THESIS XXXIII.

Humanitas Christi sanctificatur, sanctitate increata, per unionem cum Verbo.

139. Nota 1.^o Supponimus esse fide notum, Christum vere sanctum esse saltem per communicationem idiomatum. «Si quis non

»confitetur, crucifixum carne Dominum Nostrum Jesum Christum »esse Deum verum et Dominum gloriae, et unum de Sancta Trinitate; anath. sit.» (Syn. Oec. V. can. 10.)

Atqui esse Deum verum, esse Dominum gloriae, esse unum de Sancta Trinitate est formaliter esse *sanctum*. Ergo.

Christus D. ait de se ipso: *Quem Pater sanctificavit et misit...* (1).

Ergo saltem sanctitate illa, quam accepit a Patre antequam mitteretur in mundum, Christus est sanctus. Item (2), dixit Angelus Mariae: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Nota II.^o Supponimus deinde, ipsam Christi Humanitatem esse in se et immediate sanctam. Sic Apostolus de Christo, ut homine, ait: *Ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens...* (3). Et Conc. Oecum. VI. «Quemadmodum *Sanctissima* atque immaculata animata ejus caro deificata, non premissa, ita et humana ejus voluntas...»

Nota III.^o Dubium movent AA., an Humanitas sit sancta formaliter per ipsam Sanctitatem increatam, an solum radicaliter per efficientiam physicam et moralem. Durandus, Alvarez, Medina, etc., dicunt non sanctificari formaliter: D. Thomas, Suarez, Vazquez, Lugo... affirmant, etc.

140. Prob. 1.^o Sancti PP. docent Christum unctum fuisse Divinitate, et hac de causa vocari *Christum*. Sed unctio significat sanctificationem. Ergo. *Maj.* prob. Nazianzenus (4) ait: «Christus (dicitur) propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est. »non operatione, ut in aliis christis, sed totius unguenti praesentia »*sanctificans*: cujus hic effectus, ut id quod ungit homo vocetur, »et quod ungitur Deus fiat.» Irenaeus autem (5): «In Christi »nomine subauditur qui unxit, et ipse qui unctus est, et ipsa unctio, in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Filius in Spiritu, qui est unctio. Quemadmodum per Isaiam ait »sermo: *Spiritus Dei super me, propter quod unxit me*: significans »et ungentem Patrem, et unctum Filium et unctionem qui est Spiritus.» Damascenus pariter, qui et aliorum PP. confirmat doctrina (6): «Nos vero Filium, Deique Verbum, tum demum fuisse Christum, vocatumque esse dicimus, cum sanctae semperque »Virginis uterum inhabitando, caro citra mutationem ullam factus »est, unctaque caro fuit Divinitate. Haec namque humanitatis unctio extitit, ut ait Gregorius Theologus. Sanctissimus »item Alexandriae praesul Cyrillus, imperatori Theodosio scri-

(1) Jo. X, 36.—(2) Luc. I, 35.—(3) Hebr. VII, 26.—(4) Orat. 30, n. 21.—(5) L. 3, c. 18.—(6) L. 4, c. 6.

»bens, in hunc modum loquitur: «Equidem necessarium esse arbitror, ut nec Verbum, quod ex Deo sine humanitate natum est; nec »rursus templum, quod ex muliere partu editum est, si Verbo unitum non sit, Jesum Christum nuncupemus. Etenim Verbum, quod »ex Deo est, non aliter Christus censetur, nisi quatenus per dispensationis unionem, arcano modo, cum humanitate conjunctum fuit.» »Rursumque ad Imperatrices ita scribit: «Quidam Christi nomen, »Verbo soli, singulatimque in se considerato et existenti, ut a Patre genitum est, convenire asserunt. Nos vero ita sentire et loqui »nequaquam edocti sumus. Nam quando Verbum factum est caro, »tum primum etiam *Christum* Jesum nominatum fuisse dicimus. »Nam quia exultationis oleo, sive Spiritu, a Deo et Patre unctus »est, eatenus Christus appellatur. Quod autem unctio in humanitate facta sit, in dubium nemo vocabit illorum, qui recte sentire »consueverunt.» Hucusque Damascenus. Athanasius quoque ait (1): «Ego enim Verbum sum unguentum; quod autem a »me unctum est, homo est; quapropter Unctus sive Christus, sine »me, minime dicatur, sed qui mecum est, et in quo ego sum.

Minor prob. a) Unctio erat signum institutum ad res Deo consecrandas seu sanctificandas. b) Joannes, ut significaret susceptionem Sp. Sancti, dixit: (2) *Unctionem habetis a Sancto*. Angelus autem: *Ungatur Sanctus Sanctorum*, id est, ita ungetur ut sit sanctissimus. (3) c) Augustinus autem (4) ait: «Donum gratiae »visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.»

141. Prob. 2.^o Gratia habitualis sanctificat formaliter, quatenus est divinae naturae quaedam participatio. Sed unio hypostatica est substantialis unio cum Divinitate, ita ut Humanitas dicatur Deificata a PP. et a Conc. Oecum. VI. Ergo etiam Humanitas Divinitate sanctificatur.

3.^o Per gratiam unionis est Humanitas Christi summe grata et dilecta Deo supernaturaliter; excluditur ab ea omne peccatum; debentur illi omnes supernaturales perfectiones, quibus ad rectam et supernaturalem operationem et beatitudinem disponatur. Sed haec constituunt sanctitatem. Ergo sancta est Humanitas Divinitatis unione.

Confirm. D. Thomas (5) docet: «Ex unione ad Verbum, »Christum non potuisse peccare et jus habuisse ad gloriam.» Ergo gratia unionis facit Christum summe gratum et sanctum. Vide etiam eandem in *Summa* doctrinam (6).

142. Obj. 1.^o Quod non est forma praestare nequit effectum

(1) Orat. 4, *contr. Arian.*—(2) I Jo. II, 20.—(3) Dan. IX, 24.—(4) L. 15, *De Trinit.* c. 26.—(5) 3, dist. 13, q. 1, ad 5.^m—(6) Pars. 3, q. 22, a. 2, ad 3.^m

formalem. Sed sanctitas increata non est forma: ergo non praestat sanctitatem formalem.

Resp. Dist. *min.* Non est forma proprie dicta, id est, cum imperfectionibus propriis formae, ut ordinari ad subjectum etc. conc. Non est *quasi forma* ad praestandos eos respectus ad Deum, qui a forma sanctificante (gratia) praestantur, imo et nobiliores; nego.

Videlicet, eum *formalem* splendorem, eam specialem nobilitatem et ordinationem ad vitam aeternam, quae praestantur a gratia, non praestat Unio hypostatica; sed alium eminentiorem splendorem et nobilitatem, aliud nobilius et altius ad divinam haereditatem et ad amicitiam cum Deo ineffabile jus.

Ex his intelliges quo sensu interpretandus D. Thomas dicens, indiguisse Christum gratia habituali (1): scilicet, ne careret illa *formali et speciali* habitudine gratiae habitualis ad vitam aeternam et ad caetera supernaturalia dona; non autem quod illa indigerit absolute ad sanctitatem.

Obj. 2.^o Patres dicunt, Christum unctum fuisse, id est, sanctificatum fuisse Spiritu Sancto, idque dicit Scriptura: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (2). Sed Spiritus Sanctus non est ei hypostaticae unitus; ergo solum unctus est Christus per gratiam sanctificantem, ut ceteri just.

Resp. Disp. *maj.* Unctus Christus Spiritu Sancto per appropriationem; conc. Per proprietatem; nego. Etenim Spiritus Sanctus dicitur *unctio*, quemadmodum Pater dicitur ungens; non quidem quod solus Pater unxerit, cum tota Trinitas unionem hypostaticam operata sit: sic et Spiritus Sanctus dicitur *unctio*, licet Divinitate unctus fuerit Christus per unionem cum Verbo divino.

THESIS XXXIV.

Christus Dominus sanctificatus fuit gratia habituali.

143. *Nota:* certa et catholica est doctrina, imò probabilius de fide, ut censet Doctor Eximius.

Prob. 1.^o In Actibus Ap. (3) dicitur: *Unxit illum Deus Spiritu Sancto et virtute*. Atqui tali unctione significat Petrus gratiam Spiritus Sancti, non ipsam divinitatem. Ergo et gratiam habuit Christus.

Min. prob. tum auctoritate S. Cyrilli, in ep. *ad Solitarios*; et Eusebii (4); tum contextu: cum enim dicitur *virtute*, intelligitur donum et gratia miraculorum, ut ex contextu patet: at-

(1) Q. 7, a. 1.—(2) Luc. IV, 18.—(3) X, 38.—(4) L. 4, *Demons. Evang.* c. 15'

qui non est credendum hanc gratiae miraculorum unctionem, immediate et uno ac eodem verbo, significatam cum ipsa unctione divinitatis: ergo per illam Spiritu Sancto unctionem donum et gratiam Spiritus Sancti etiam intelligere debemus. Quod et alius parallelus locus confirmat (1).

Confirm. Dicit Joannes (2): *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* In sensu proprio intelligenda verba Scripturae, si nihil cogat ad improprium transire. Atqui si gratia Christi sola fuit hypostatica Unio, non nisi improprie de ejusdem plenitudine accepimus. Ergo de gratia sanctificante intelligendum.

144. 2.^o Athanasius (3) ait: «Ex eo quod ipse, ut homo, »eam gratiam Spiritus Sancti accepit, factum est, ut nos illam ex »plenitudine dimanantem accepimus.» Ita et Hieronymus (4). Ambrosius etiam, (5) qui dicit; gratiam esse communem Christo et nobis. Augustinus autem (6), «Dominus ipse Jesus, non »solum Spiritum Sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo, et propterea est plenus gratia, quia unxit eum Deus Spiritu »Sancto... dono gratiae, quod visibili significatur unguento quo »baptizatos ungit Ecclesia.»

3.^o Jesus Christus est gratiae habitualis capax, et aliunde expedit valde ut eam habeat. Ergo fateri oportet illam plene accepisse.

1.^a pars *antecedentis* prob. Utraque natura in Christo manet id quod est, nempe cum suis differentiis et proprietatibus: ergo natura humana in Christo eadem capacitate donatur, ut gratiam sanctificantem suscipiat. *Ant.* patet ex thes. XX.

Confirm. Subsistentia naturalis nullatenus obstat quominus habitus quoslibet naturales natura suscipiat: ergo neque subsistentia supernaturalis impedire susceptionem habituum supernaturalium potest. Imo, subsistentia naturalis potius disponit et viam sternit ad quoslibet habitus naturales; ergo, a pari, subsistentia supernaturalis disponit ad habitus supernaturales. Cum enim subsistentia sit substantiae complementum in existendo *per se*; cumque habitus et quaelibet accidentia aliquod subjectum *per se* existens requirant: connaturalius est habitus naturae subsistenti inhaerere, quam non subsistenti.

145. 2.^a pars *antecedentis* prob. Expedit ut Christus, tamquam caput electorum et principium omnium actuum supernaturalium eorundem, et tamquam persona intrinsece supernaturalis; per ac-

(1) I Io. II, 20.—(2) I, 14, 16.—(3) Serm, 2, *contra Ar.* circa finem. (4) In cap. 3, Abac.—(5) L. de Spir. S. c. 8.—(6) *De Trin.* l. 15, c. 26.

tus intrinsece supernaturales etiam operetur. Atqui ut connaturaliter hoc modo operetur, requiruntur habitus supernaturales in gratia radicati. Ergo plenitudine gratiae donatus fuit Christus.

Obj. Sola Verbi subsistentia sufficit ad sanctificandam naturam. Ergo non ei opus est gratia habituali.

Resp. dist. *antec.* Ad eam formalem sanctificationem quam praebet gratia, et connaturalem habitudinem ad actus supernaturales; nego. Ad aliam sanctificationem altioris ordinis; concedo. Etenim non est ejusdem speciei sanctitas omnis.

146. Coroll. Christus habuit plenitudinem gratiae, et quodammodo infinitam.

1.^o Quia Christo donata fuit gratia congruenter ad suam dignitatem; aliis autem, sive Angelis, sive hominibus, congruenter ad eorum merita vel finem. Atqui dignitas Christi continet eminentissime dignitatem meritorum et finis Sanctorum omnium. Ergo omnium gratia est plenissime et eminenter in Christo.

2.^o Christo data est gratia, tamquam capiti et principio universali. Sed in principio universali continetur eminenter plenitudo omnium quae ab eo fluunt. Ergo data fuit Christo gratiae plenitudo.

Dicimus *quodammodo infinitam*: quia gratia Christi non fuit secundum aliquam regulam finitam mensurata, sed ex sola divina sapientia ad dignitatem Verbi respiciente.

147. Obj. Gratia infinita repugnat, vel gratia etiam omnium possibilium gratiarum maxima. Ergo gratia infinita esse in Christo nequit.

Resp. Dist. *ant.* Gratia infinita *simpliciter*, vel omnium possibilium maxima *simpliciter*, repugnat; trans. *antec.* Non enim de hac re disputare intendimus: gratia infinita *secundum quid*, id est, modo in Coroll. explicata, repugnat; nego *antec.* et *consequentiam*.